



107

H. XIII. II.

Liber
Novo Tacin.
937/VI.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Diss. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pace edit. 1644.
5. Genealogia sive Natalitia ed. 1642.
6. Descriptio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capuccinum
et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Dhrsch. Eulef. IV. 4. Secunda editio.
8. Anatomie Papismi impietatis Jesuitici.
9. Nachdruck des von Königl. Luz. der Lucif. Logik u. quib. Henrici
Nicolai geschrieben.

I. N. D. N. J. C. A. *coll. 1*

DE

POTENTIA IN
REBUS.

ΣΚΕΨΙΣ PHILOSO-
PHICA

Ad Publicam Sententiarum
Collationem

IN CELEBRI GYMNASIO
GEDANENSI

Proposita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Artium & Philosophiæ M. &

Profesore Ordinario,

Respondentis vices subeunte

Matthæo Randovio Rostochi-
ense Megapolitano.

*Ad diem 24 Januarii, in auditorio Majori
horis à septimâ matutinis.*

Scaliger ex. 307. S. 21. In re tam perplexâ, cum dif-
ficultas adferret secum excusationem, excusatio
persuasit nobis, ut his in tenebris auderemus con-
nivere.

DANTISCI,

Typis RHETIANIS, Anno Dom. 1632.

J.



ines
c. 4.
exp
fieri
inde
alio
cent
diffi
sap
gare
ad u
Ita p
quo
lis c



I. N. D. N. J. C.

THES. I.



Uemadmodū qui motū cœlo inesse negat, non injuria ridebitur ab Astrologis, confutabitur à Physiologis, Galeni etiam jussu vapulabit, ut scire nō nemo Philosophorum; Ita non minus pro certo & circumferendo habendus ille, qui potentiam rebus inesse, secutus *Megarenses* apud *Philosophum* in *8. Meta. c. 4.* negare sustineat. Etenim & rationi & manifestæ experientiæ contravenit: Cum nihil factum esse vel fieri videamus, quod non prius fieri potuerit. Ut proinde contra potentiæ inficiatorem agendum sit, non alio modo, quam, quo contra eos procedendum olim censuit *Johannes Dunsius*, cognomento *Scotus*, rerum difficultium non indilutæ subtilitatis scriptor, quamvis sæpius *σχοτεινός*, qui contingentiam rebus inesse negarent, ignibus nimirum tamdiu torrendos esse, quoad usq; contingere posse faterentur, ut non vrerentur; Ita potentiæ negator fustibus tamdiu contundatur, quoad usq; possibile esse fateatur, non amplius bubalis coriis onustum esse, Ut joculariō alicubi *Comicus*.

2. Quare potentiam sive agendi, sive recipien-

di revera dari præassumendum potius ducit *Philosophus*, quam disceptandum: De naturâ tamen & definitione utriusque potentiaë quædam disceptare habet, quæ nec omnîe vulgo sint obvia, & quarum indagatio subtilitatum, tametsi non utilis sit ad machinas farinarias conficiendas, mentem tamen egregie rubigine inscitia exuit, acutiq; ad sublimiora. Verbis Scaligeri ex. 307. S. 3. Earû nonnullas ad disquirendum proponimus.

3. Consideratur potentia Philosopho dupliciter, vel nominaliter vel realiter, vel quoadquid nominis vel rei, onomatologicæ & pragmatologicæ.

4. In nomine tria inquiri, *Homonymian*, *Etymologiam*, & *Synonymian*.

5. 1. Quâ *Homonymian*. Potentiaë vox est Ambigua, sumitur vel *Philologicæ* vel *Philosophicæ*. *Philologicæ* maximam partem potentiam agendi & dominandi significat, raro & fortasse nunquam, potentiam patiendi. Hinc *Ciceroni* 2. de inu. potentia dicitur facultas ad sua conservanda & alterius obtinenda. Hinc Principes potentes vocamus, *Magistratus potestates* appellantur tum in sacris ut *Rom: 13. v. 11. Tit. 3. v. 1.* tum profanis authoribus, ut *Sueton. in Claud. Plinio lib. 29. N. H. c. 4. &c.* *Philosophicæ* varie sumitur. 1. *Generaliter* pro omni potentia sive activa sive passiva. Sic *DEO* tribuitur potentia agendi nimirû, & materia dicitur pura potentia, recipiendi nimirum. Videatur *Scheibl. Top: c. 3. §. 10.* 2. *Specialiter* pro potentia activa tantum, id est pro principio operarum & effectuum, ut *Scaliger loquitur ex 307. S: 16.* Sic ipsa substantia dicitur potentia efficiendi accidentia in 9. *Meta.* 3. Pro potentia passiva tantum. Sic homo vri potest, secari &c. 4. Pro aptitudine ad existendum, quæ

quæ potentia *objectiva* & *Logica* dicitur. Sic rosa in hyeme dicitur esse in potentia sui fructus. Huc divisio *Entis in actum & potentiam* pertinet. Vide. *Fonsec. in 9. Meta. c. 1. q. 1. s. 1. 5.* Pro potentia *obædientiali* tantum respectu *DEI* & *artificis*, quæ nihil aliud quam non repugnantia recipiendi actum; Sic in lapide potentia ad filium esse dicitur respectu *DEI*. ex *Matt. 3. v. 9.* 6. pro *inexistentia alicujus rei* in aliquo vel *actuali*, sed *occulta & contracta*, quomodo elementa in misto potentia esse dicuntur, opium & casta in theriaca, apud *Vallesium ca. 45. sac. Phil. Vel potentiati*, quomodo ignis in potentia chalybis & silicis esse dicitur à Philosophis. *Prædicamentaliter deniq; potentia notat 1. qualitatem aliquam ad agendum vel patiendum.* Quomodo magnam partem hic sumitur, 2. Interdum qualitatem afficentem, quæ vulgò *patibilis* dicitur, quæ *divinis* dicitur *Aristoteli in 2. Eth. c. 4. observante Goclenio in l. 1. c. 2. Metaph. Tim. q. 6.*

6. 2. *Qua Etymologian.* dicitur potentia *Grammaticæ* à *posse* & antiquis *potesse*, unde potentia quasi *potessentia*. (*Logicè* hæ derivationes invertuntur, & *posse* dicitur à *potentia*) Vnde qui potest aliquid, scilicet vel agere vel pati, potentia ejus rei præditus esse dicitur à Philosopho. 3. *Qua Synonymian*, *Synonyma* potentia possunt esse *potestas*, *vis*, *virtus*, *facultas*, *habilitas*, *aptitudo*, *idoneitas*, *qualitas* & *principium agendi patiendive*. Videatur *Scalig. ex: 307. s. 16.* Et si inter quædam horum vocabulorum distinctiones dari soleant. Videatur *Timpl. l. 5. Meta. c. 3. q. 10. Scheibl. l. 1. Met. c. 24. n. 6.*

7. Hæc de *nominali doctrina potentia*: Sequitur *realis*. In ea tria cum primis disquirit Philosophus.

Nempe rei, 1. Definitionem 2. Divisionem. 3. affectio-
nem. Definitionem potentia priusquam demus, qua-
rendum ante omnia est, *Vtrum potentia semper à re,
cujus est potentia differat realiter, an vero interdum ratio-
ne tantum.* Hoc enim elucidasse ad ipsam definitio-
nem potentia magnum momentum attulerit.

8. Quæ situm ut ordinate explicetur, Ita distin-
ctè procedendum. *Ens est* vel increatum vel creatum.
Increatum ut DEUS. *Creatum* est vel substantia vel
Accidens. In substantia alia est pura forma idest Ens
simplex expers Physicæ compositionis, (*non Logica,
non Metaphysica,*) ut Angelus, anima separata, vel for-
ma cum materia id est, Ens cõpositũ, ut homo, asinus.
Vel est principium substantiale adeoq; substantia incom-
pleta ut materia & forma. In accidente aliud est qualitas
& hæc sæpè est ipsa potentia, aliud qvantis, actio, re-
latio &c. Quibus ita distinctis sequentes formo pro-
positiones, quibus rem explico.

9. Dico 1. In Ente increato, ut DEO, potentia
agendi non differt realiter ab ipsa essentia, adeoq; esse &
posse in divinis idem sunt. Probo. DEUS est simplicis-
simus & omnis compositionis expers. E. & compositio-
nis ex essentia & potentia. Antecedens patet 1. scrip-
tura, quæ simplicitatẽ DEI insinuat, cum ipsum per-
fectissimum vocat *Esai. 40. v. 12. 22. 26.* At quod perfe-
ctissimum est, simplicissimum esse oportet. Vide *Scalig: ex
359. S. 12.* Item cum immutabilem ait *Num. 23. v. 19.
Malach. 3. v. 6. Jacob. 1. v. 17.* At quod compositionẽ
accidentis recipit, mutatur ab accidẽte illo in id quod
antea non erãt 2. *Ratione 1. DEVS est actus purissi-
mus, totus independens, Ens primum. E. aliquid re-
diversum ab essentiã non admittit. Secus haberet po-
tentiam*

tentiam in se recipiendi aliquid, haberet aliquid in se dependens, haberet aliquid quod suam naturam consequeretur in semet ipsa. Et sic non summè primum ens esset. 2. *Si potentia*, ut accidens essentia divina superadditur, aut perfectionis, aut operationis, aut ornatus gratia superadditur. At nullius gratia. Non *primi*, sic enim essentia prima in se ipsa esset imperfecta, perfectionem sumeret ab accidente. Non *secundi*, sic essentia divina in se ipsa esset insufficientis, sufficientiam sumeret ab accidente, ita accidens esset perfectius DEO. Non *tertij*, Sic enim essentia DEI foret indiga & alterius extrinseci ornamenta deponeret. Quæ omnia sunt absurdissima. E. plane non accidentia divina essentia superadduntur. Cōfer Becanū T. 1. p. 1. T. S. c. 1. q. 1.

10. Nihil ominus aliquid est discrimen inter essentiam DEI & potentiam ad operandum, rationis nempe *rationata* ut vocant Philosophi, id est, tale, ut discriminis fundamentum ratio inveniat non in re simpliciter spectata, sed ratione diversorum objectorum, effectorum, predicatorum & analogia actuum humanorum.

11. Id ut sit evidentius, sic habendū. Intellectus noster, qui finitus est, divinā essentia quæ infinita est, adæquate & totaliter cōprehendere non potest. Cognoscit e. quantum potest, quando non potest, quantum vult. Inadæquate ergo interdum aliquid in essentia divina concipit, quod ab aliquo alio in eadem essentia distinguit, quia in creatis illa invenit distincta. Et in illa distinctione unum non esse aliud, ait, ut in re simplicissime unum esse agnoscat *Vt enim multitudo rerum in ente aliquo distinctionem realem importat: sic multitudo conceptuum nostrorum distinctionem rationis.* Nec ideo conceptus noster vanus est, quod in re multitudo illa non

non inveniatur: quia iudicat, distincta illa esse non
in re simpliciter, sed in re *cum certo respectu considerata*.
Ille respectus fundamentum est distinctorum nostro-
rum conceptuum. Fundaturq. 1. *In diversis objectis*.
Sic aliud quid est, circa quod videt versari misericor-
diam DEI, nempe miserabile, aliud circa quod justi-
tiam, nempe punibile. Hinc misericordiam & justitiam
dicit in DEO esse distincta. 2. *In diversis effectis*. Ef-
fectus misericordiam est misereri, justitiam punire. Mi-
sericordia ergo & justitia diversa. 3. *In diversis prædi-
catis*. De Misericordia prædicatur, quod misereatur, de
justitia quod ulciscatur. Ergo ratione horum diver-
sorum prædicatorum formalium spectata justitia &
misericordia differunt. Hinc sensu formali & à parte
conceptus nostri distinctivi (non à parte rei formaliter ut
Scotistas sentire tradit *Becan. c. l.*) rectè dico *attributū
misericordiam non est attributum justitiæ, & contra: Quē-
admodum sensu identico & à parte rei rectè dico Justi-
tia est misericordia*. sic *vis calefactiva & liquefactiva* in
sole ex parte rei idem est, ex parte nostri conceptus
distinctivi rectè dico, *vis liquefactiva, non est præcise
ipsa vis calefactiva, quia calefactio & liquefactio ha-
bent, diversa effecta & prædicata*. Deniq. 4. *In diversis
actibus humanis*. In homine misertio & justitia diffe-
runt realiter. E. & per analogiam in DEO notiona-
liter. Positis his fundamentis distinctionis, conce-
ptus noster rectè dicit, *attributum justitiæ, quatenus hæc
inadequate concipitur, ut puniens, non est attributum mi-
sericordiam, qua hæc inadequate ut miserens concipitur*. Sed
in re unum est alterum, citra sui eversionem. Vul-
go *conceptus distinctivus & univocus dicitur*. Conf. *Be-
can. c. l. q. 2.*

12. Dico, II. In Ente creato substantiali completo, ut
 angelo & anima rationali, (qua cōpleta dicitur, qua separata
 & Methaphysice, non qua forma corporis & Physice, ubi pars
 cōpositi est) potentia intelligendi & volendi differt ab ipsa es-
 sentia realiter, ut accidens à subjecto. Hæc propositio est
 difficillima & obscurissima in tota doctrina Pneumari-
 ca, ut merito dicat *Valentianus*, nullā fortasse rationem
 evidentē dari posse, qva horū aliquid evidenter pro-
 betur, & contrariū falsum ostendatur. *T. r. d. 4. q. 5. p. 4.*
& d. 5. q. 3. p. 2. Natae hinc sunt duæ principes Philosophorū
 hac de re sententiæ: Altera *Thomæ & Thomistarum* pro-
 positioni meæ adstipulantium: Vide sis ipsum *Tho-*
mam p. r. q. 54. a. 3. q. 59. a. 2. q. 77. a. 9. q. 79. a. 1. Cajetan.
in hos Thomæ locos: Valentian. c. l. Sequitur hos Sua-
retz di. Meta. 18. f. 3. & d. 35. f. 4. n. 10. Rutgersius l. 1. Me-
ta. p. 296. Cl. Jac. Martini. l. 2. par. Meta. f. 6. q. 4. l. 2. ex-
erc. p. 597. & si alibi alio inclinare videatur. l. r. part. f. 8. q. 8.
Scaliger ex. 359 f. 11. & ex. 111. (& si hic alibi aliter senti-
at, ut postea dicam) Hippus proble: Physic. 42. Fonseca l. 5.
Meta. c. 5. q. 1. f. 5. DD. Conimb. Toletus, Ruvius, Zabarella
&c. Thomistæ pleriq; omnes, Durando excepto, qui quo-
ad angelum id concedit, qvoad animam rationalem
negat: Altera sententia Scoti est, qvi reale discrimen
hic negat, formalium rationum differentiam sufficere
statuens. Ita Scotus in 2. sente. d. 16. q. 1. Hunc sequuntur
Augustin. de sp. & an. ca. 4. & serm. de jmag. c. 11. Beda in
axiom. p. 133. lit. i. Gregorius Ariminen. Occamus, qvem
omnium mortalium subtilissimum vocat Scaliger ex.
65. s. 4. Dn. D. Gerhardus ex. de P. C. 9. 256. Dn. Schröde-
rus de com. pro. th. 239. 240. Scheckius l. 1. Topic. l. 11. & 2. Top.
loc. 9. Goclen. p. 2. misc. p. 326. Weberus trig. dixquis. contra
Goclen. p. 119. 215. Scaliger ex. 307. f. 15. Alstedius l. 6. En-

eycl. p. 4. c. 3. th. 1. Bierman: dis. de poten. th. 121. Timpler.
li. 5. Meta. c. 2. q: 5. Piccolomin. gr. 2. Ph: mor. c. 3. Inclinat
huc Perer. ex ijs, qua disputat l. 1. Phys. c. 9. & salibi aliter.

13. Probo tamē meam sententiā 1. Generaliter
Nullum posse esse in creatis, & nullius creaturæ
potentia est ipsius essentia. Ita Thomas p. 1. q. 54. a. 3.
& q. 77. a. 1. 3. Ergo nec potentia intelligendi in ange-
lo aut anima. Antecedens probo duplici ratione. 1. Po-
tentia ad actum & operationem essentialiter ordinata, Ita
ut ab eo speciem & formale suum sumat, est actui suo
proportionata h. e. est ejusdem cum eo generis, saltē
generalissimi, ita ut si actus sit accidens, & potētia ta-
lis sit, si actus substantia, & potentia talis. At opera-
tio omnis in creatura est accidens. E. & ad operatio-
nem ordinata potentia. Major probatur. 1. inductione.
Motio est accidens. E. & potentia ad mouendum, I-
demq; est de visione, calefactione, verberatione. Et
communiter conceditur. Cur non idem de intelle-
ctione & potentia intelligendi probabiliter dicamus.
Cum immaterialia non aliter nisi per ordinem ad ma-
terialia cognoscamus; At in materialibus ita se res ha-
bet. Vide Suarez. d. 18. n. 13. 14. s. 3. 2. Exemplo DEL, in
quo operatio ipsa est substantia, ut communiter senti-
unt Theologi. E. & potentia 3. exemplo actus Sub-
stantialis. (Hic quanquam non sit operatio, commode
tamen proportionem inter potentiam & actum de-
clarat.) Actus Subsistentię est ipsa creaturæ substan-
tia & essentia. E. & potentia ad hunc actum talis est,
ipsa nempe creaturæ essentia. Minor in materialibus
patet. In angelo & anima similiter; Intellectio enim
est actio immanens. At actio in creatis est accidens.
Ergo, &c.

14. Ut argumenti vis pateat, duo nota 1. *Potentiam esse ad actum essentialiter ordinatam*, non q. actus sit de essentia ipsius potentiae, & potentia nunquam absq. actu esse possit, sed quod per ordinem ad eum definiatur, ita ut ab eo speciem & determinationem sumat, & sic ei proportionata esse debeat. sic potentia visiva definitur facultas ad videndum. 2. *Potentiam esse ejusdem generis cum actu*, non precise ex eodem predicamento, ita n. saepe diversorum predicamentorum sunt, sic ambulatio est actio, at vis ambulans potentia naturalis & qualitas: sed ex eadem entis specie generalissima, ut si actus accidens sit, & potentia, si ille substantia, & haec. Haec est proportio illa inter actum & potentiam a Philosophis requisita, Ulterius extendi non debet. Negat hanc proportionem Scotus d. 16. sed ibi verè notat.

15. II. Sic arguo. Actus in bonis est nobilior potentia, ut conceditur. At si potentia esset substantia spiritus, tum potentia esset nobilior actu. Quod communiter Philosophi negant. Ergo.

16. 2. Specialiter ita argumentor. *Essentia spiritus creati ex se est indifferens ad intellectionem & volitionem*, ut patet. Potest n. modo in hac, modo in illa esse. Ergo determinatur ad alterum horum actuum, & interne quidem. Nam de externa determinatione per objecta, circumstantias, jam non disquiro. *Quero quid interne determinet essentiam sp. creati ad volendum, ad hunc precise actum?* Essentia non, nam haec indifferens est ex se ad hunc & intelligendi actum. Ergo *essentia superaddita potentia*. Aliud enim assignari non potest. Ergo aliud precise est essentia angeli, aliud ad volendum a. intelligendum potentia. *Ans: modale hic discrimen sufficit.* R. nego. Modi determinant tantum ad

actum existendi, & ita à subjectis suis ratione differre
possunt: Potētiæ determinant ad actum operandi & sic
plusquā rationis discrimen important. *Ans: Idē de essen-*
tia DEI dici potest. R. Ambigo. Ut in discursu docebo.

17. 11. *Potentia intelligendi in spirita creato admit-*
tit gradus, & mutari flexiq; potest. At essentia ipsorū
est immutabilis. E. essentia & potentia diversissimæ
res sunt. Antecedens patet 1. exemplo angelorum bonorum.
In his potentia intelligendi longe nobilior & perfe-
ctior quā in malis, ut probabiliter sentiunt Theologi.
Vide Alsted. l. 6. Encycl. p: 3. c. 4. §. 5. 2. Exemplo malorū
angelorum. In his vis intelligens perfectior fuit ante
lapsum, debilior facta post lapsū, ut ex analogia lapsū
nostri deducunt Theologi: Vid. Alsted. c. l. c. 8. §. 1. At
essentiam angelorū perfectiorē vel debiliorem factā
fuisse nemo citra absurditatem asserere potest. 3. Vis
intelligēdi perfici potest cognitione quotidiana objecto-
rū multorum tum à naturali agente tū supernaturali,
DEO. At essentiam ipsorum à naturali perfici posse
improbabile est. E. Intellige perfectionem extensivā,
non intensivā. Sic potentias naturales & hoc intendi
posse vulgo negatur. Sed dubium est.

18. *Addi hic solet argumentum: Si intellectus*
angeli est ejus essentia E. angelus semper intelliget. nam agēs
per essentiam semper est in actu, ut DEUS. At sic an-
gelus DEO æquaretur. Sed ut verum fatear, hoc non
magnopere placet. Non enim absurdum est, perpetuum
& incessantem aliquem actum in spiritualibus esse,
v. g. intellectiōnis, sicut in Corporalibus perpetuus
est actus vivendi in animato, quā diu animatum ma-
net. Videatur cui placet Becan. p. 1. Th. sch. tr. 3. c. 1. q. 7.
§. 5. Alsted. c. l. c. 4. §. 1. sic & angelus in perpetuo actu in-
telli-

tellig
gend
gere.
n. 176
tellig
tiā fe
net h
d. 3. q
actū
n. pe
essen
Nil
1. A
telles
essen
dari
dem
mate
chre
bile,
posse
velle
Ruv
creat
depe
tis in
sui na
ta R
ejus
ne sp
atam

relligendi erit. Potest quidem esse in potentia intelli-
gendi, *objective*, i.e. potest modo hoc objectū intelli-
gere, modo illud, & hoc si sentit Scheibler. l. 2. *Meta. c. 4.*
n. 176. assentior, non *subjective*, i.e. ut ab omni actu in-
telligendi aliquando cesset, & tantum ad eum in potē-
tiā se habeat. Et hoc si vult, linquo & abjungo. Pertinet
huc elegans dictum *Augustini* apud *Scotum* in 2. *sen.*
d. 3. q. 8. *Anima novit semper se, propter propinquitatem ad*
actū noscendi. Neq; hinc spiritus Deo æqvabitur. Deus
n. per essentiā intelligit, sed *independentē*, angelus per
essentiā, sed *dependentē*, ut elegāter *Scotus* 2. *sen.* d. 16. q. 1.

19. Ita probabiliter defenditur *Thomæ* sententia.
Nilominus ut res sit evidentior, sequentia notanda.
1. Absolutē *Scoti* sententia non est improbabilis, in-
tellectum & voluntatem in spiritu creato differre ab
essentiā *formaliter* saltem: Et si hic rationes cogentes
dari nequeant, sufficiant valde probabiles. Hæ quasi
demonstrationes sunt. *Nec n. à prudenti Philosopho in*
materia tam abdita demonstrationes requirantur, ut pul-
chre Suarez c. l. n. 16. 2. Absolutē non est impossi-
bile, spiritum aliquem ita à D E O perfectum creari
posse, ut immediatē per essentiam possit intelligere &
velle. Neq; hoc contradictionem implicat, ut censet
Ruvius in 2. *de an. de pot. q. 1. n. 22.* Neq; ita spiritus
creatus Deus fiet. Manebit n. adhuc finitus, creatus,
dependens. Inmediatē agere per substantiam in crea-
tis implicaret contradictionem, si creato competeret ex
sui natura & necessariò, & hoc bene concludunt argumen-
ta *Ruvij*: non si ex libero DEI beneplacito & voluntate
ejus absoluta, quod ajo Ego. 3. Naturali rerum ordi-
ne spectato convenientius est, spiritum & omnem crea-
tam rem operari per potentiam quam per essentiam:

Illud n. magis *compositionem infert*, quæ suo modo omni Enti creato competit. Solus DEUS summè simplex. 4. potentia hic intelligitur ad *actus & operationes*, adeoq; hic veræ operationes adducendæ, ut intellectio, visio, *non vel animæ proprietates*, ut passim Scotus dist. 16. quæ sive per actionem producantur ab anima, sive absq; eâ, quo derixantur Philosophi, & Ego jam non disquiro, *vide Suar. d. 18. f. 3.* producantur tamen ut accidentia animæ & potentia, non ut immediatè ejus essentia; nec per rigidam quandam effectiorem, ut intellectio, sed *simplicem potius emanationem*, ut loquuntur Philosophi; Vt alia adhuc hic discrimina fileam, quæ habet *Ruvius de pot. q. 5. n. 15. 16. vel ipse animarum formalitates*, ut esse vivum, sentiens, rationale, quæ non sunt proprietates consequentes, sed formalitates animas constituentes, aut in formalibus earum conceptibus inclusæ, ut ut maxime generaliter interdum potentia dicantur. Sic vivum formale animæ in genere est, sentiens formale animæ animalis, rationale animæ humanæ. 5. Spiritus creatus agit per potentiam ut medium respectu *principij quo*, sed respectu principij *quod* immediatè agit, non n. inter spiritum & operationem aliud est suppositum, quod tãquam principium quod agat. Agit immediatè, *immediatione suppositi*, non *virtutis & facultatis*. 6. Potentia agendi non est solaabilitas & idoneitas ad operandum, ut Zabarella c. 4. de fac. an. putat, sed principium activum ad actionem. Sic vis movens in homine. Sic puerumabilem & idoneum ad canendum dicimus, quod possit doceri: sed Musicum potentiam canendi habere dicimus, id est, vim activam ad canendum. 7. Potentia est medium inter essentiam & opera-

operationem, sed non medium inter substantiam & accidens prædicamentale. Respondet enim proprio in anima, licet medium inter substantiam & accidens prædicabile dici possit, ut bene *Thomas p. 1. q. 77. a. 1.*

20. 8. *Sive* intellectus & voluntas ab anima separari possit divinâ potētîâ, ut *Thomas* voluit, sive nō, ut *Scotus*, adhuc reale discrimen manebit. *Si prius*, anima præter naturâ cōstituta erit, nec tamen *irrationalis* fuerit. Manebit n. 1. *propensio* naturalis ad intelligendum. 2. *radix & fundamentum* intellectiōnis, essentia nempe animæ, quam vūlgo per vocem, rationalis exprimimus. *Si posterius*, tum alia sunt, quæ realiter differunt, nec tamen separari posse videntur. Sic vis movens & sentiens: nusquam hæc in animali, ubi non illa; Sic humiditas accidens aquæ (quanquam contra sentit *Taurell. l. 4. in Casalp: q. 3. n. 1.*) ut communiter scitur, & vix separari posse ab aqua citra ejus destructionem posse videtur. Sic binarius & ternarius differunt realiter. Et impossibile tamen est ternarium esse ubi non sit binarius. Refer huc distinctionem t̄e re differre à *Zabarella* traditam c. 2. de. *fac. an.*

21. 9. Spiritus potest dici intelligere per essentiam, sed *Physicè & concretè acceptam*, qua affectiones involvuntur, non *Metaphysicè & abstractè*, qua essentia affectionibus contradistinguitur: 10. Potentiæ sunt instrumenta formarū, *latè*, qua instrumentum dicitur, quicquid principali agēti subservit. Sic qualitates instrumenta substantiarū. Vide *Alsted. Encycl. l. 5. p. 2. c. 4. s. 5.* 11. Anima intelligit seipsam per potentiæ intellectivæ supra seipsam reflexionem, non novam intelligendi potentiam. 12. Accidentia intime suis substantiis sunt implicata, vnde ægrè discrimen
eorum

eorū à substantijs cognoscimus. Sic calor substantiæ ignis, quantitas substantiæ, intellectus & voluntas spiritui proxime sunt juncta. Nil ominus reale eorum est discrimen à subjectis.

22. Dico III. *In substantia creatâ compositâ evidentiùs est discrimen inter essentiam & agendi potentiam.* E. g. vis calefactiva in igni, frigefactiva in aqua realiter differt ab ignis & aque substantia. *Probo. 1. si potentia hic realiter idem cum substantia, E. substantia, quâ substantia, contrariabitur substantiæ. Nā potentia contrariantur vt patet. Item vna anima suæ ipsius essentia contrariabitur, nā potentia vnius animæ contrariantur. v. q. facultas retentrix & expultrix. At posterius negatur à Principe Philosophorū in Categ. substan: & omnino falsum est. Substantia enim est ens per se subsistens. si substantia quâ talis, substantiæ contrariaretur, esset aliqua substantia, quæ non esset ens per se subsistens. Nam ita tanquam substantia præcise contrariaretur. At nulla talis est aut dari potest. Ergo & hic nulla contrarietas, quod bene vrget Perer. l. 8. c. 13.*

23. *Inquis: Rationale & irrationale, corporeum incorporeum, animatum & inanimatum, sunt substantiæ, & tamen contrariantur.* Hoc magnis clamoribus in Aristotelem vrget Ramus, Taurell. Scalig. Heselbei. Scheibler. R. substantia præcise ex eo quod substantia est, id est, in sua definitione spectata, nunquam alteri substantiæ contrariatur, eodem modo spectatæ, & hoc in Categ. docuit Aristoteles, & verissimè: sed prout substantia non amplius consideratur absolutè, ut substantia, sed ut talis & talis substantia est, id est, ut differentijs accidentalibus determinata, Ita contrarietatem recipere potest. Substantia est ens per se subsistens, hoc ipsi

ipſi eſt de eſſentia: ut ſis in corporeo, vel incorporeo, (ſe-
ſu diſiſo, pro alterutro ſumendo, non diſiſivo, pro
utroq;) hoc ipſi accidentale eſt. Ex ſe n. & ut formaliter
& præciſe ſumitur, tanquam indifferens ad utrumq; ſu-
mitur. Perinde ut animal quâ animal, præciſe ſumtum
eſt indifferens ad rationale, vel irrationale, (pro quo
malo brutale, dicere, ut differentia ſit affirmans, ſi per vo-
ces liceat, per 6. Top. c. 6.) & ſi materialiter ſumptum ne-
ceſſario in alterutro ſit, ut Logici docent. Ita ergo
ſubſtantia, quâ talis, e. g. frigida eſt, contrariari po-
terit ſubſtantia, quâ etiam talis eſt, e. g. calida, non vi
ipſius ſubſtantia, ſed vi accidentalis, cui immerſa eſt, diffe-
rentia. Et ſemper ita radix contrarietatis ad accidentalem
aliquam ſubſtantia, ut ſic, & formaliter ſumpta, differenti-
am reducenda, quocunq; modo ſingas, pingas, aut colores. Ac-
cidentalē hic intellige accidentis prædicabilis, quod
extra naturam ſubjecti Logicè deſiniti relinqui & præſcindi
potest, non ſemper prædicamentalis, ut vulgo loquimur. I-
ta quia ſubſtantiam Logicè deſinire poſſum, non men-
tione facta corporei vel incorporei, rationalis vel be-
ſtialis, animati vel inanimati, differentias has ipſi ſub-
ſtantia ut ſic, accidentales eſſe aio. Sic ipſe Philoſo-
phus genus & ſpeciem in ſubſtantia qualitatē deſi-
gnare & adſignificare ait. Categ. de ſubſt.

24. Hoc eſt, quod alij ajunt, nunquam ſubſtanti-
am abſtracte, formaliter, Logicè, præciſe in ſuo eſſe & deſi-
nitione ſpectatam contrariari alteri ſubſtantia, ſimi-
liter ſpectatâ, benè Phyiſicè, concrete, materialiter, quâ
per differentias eſt contracta, & qualitatibus adver-
ſis implicita. Sic calidam frigidâ, humidam ſiccâ, ſi-
nitam infinitâ. Potius ergo ſi rigidè loquere, ita dicē-
dum: Aliquid in ſubſtantia, v. g. differentiam aliquam, ut

C

ratio-

rationale, contrariatur alteri differentia, ut irrationali, quam ipsa substantia formaliter sumpta substantiæ cōtrariatur. Perinde atq; minus accurate sensu formali diceret, *Ens enti cōtrariatur*, quia simplex & compositū contrariantur. Nā ens ut ens formaliter sumptū in differens & per rationē abstractū ab utroq; est, & hactenus contrarietate omnē respuit, & si *materiali sensu eam admittat*, quæ non tam enti quā ejus differentijs cōpetit.

25. Non ingrediar jam pelagus illud controversiæ, de differentijs rerum, quas omnes ex accidentib. desumi disputat *Cesalpin. l. 1. qu. Perip: q. 5. Scherbins de diff. defin. acutissime*. Nec magni momenti sunt, quæ contra oggesit *Taurellus*. Omnino *Aristoteles* perfectā differentiam perfectam contrarietatem vocat. *10. Metap. 1. 13.* Quod si differentia omnis esset accidens, facile esset ipsi contrarietatem asserere. Ego tamen id non simpliciter asseruero. *Scholastici* ajunt, *hominum animas substantivas, brutorum qualitativas esse, ut habet Junius ad Levit. 17. v. 14.* Hoc quā nostram definitionem verum est Interim pluribus hac de re alias. *Differentias generi, ut sic, esse accidentales* ajunt *Logici*, speciebus quas constituunt, *essentiales*. Confer. *Arist. 6. Top. c. 6. Scarf. Log. l. 1. s. 3. c. 2. Weger. s. 2. Log. c. 10. s. 6.* Ad eundem modum de substantiæ ut sic, differentijs dici potest. *Accidentalis tamen ambiguitatē nota apud Scotum l. 1. sent. d. 2. q. ult.*

26. 11. *Sic argumentor*. Si potentia compositi & ipsum compositum re idem sunt, Ergo sensu identico dicere licebit, compositum est sua potentia. *Identico inquam*, nam formali certum est id non licere. vide *ib. 11.* Ratio majoris est, nam id licitum est in illis, in quibus potentia & essentia re idem sunt. Sic *Deus* dicitur sua potentia, sua justitia, Sic ex mente *Scoti* dicere licebit

licebit, anima est suus intellectus, sua voluntas, *sensu inquam identico, alias formali Scotus hoc negat, & res liquida est.* At hoc nullo sensu licet in compositis. Ergo compositum & ipsius potentia differunt realiter. Minor probatur, quia nullo sensu, nisi falsissimo, dicere licet, Equus est sua potentia v. g. currendi, homo est sua potentia ratiocinandi. Et adhuc hæloquendi formæ in *Philosophorum Lyceis* sunt inauditæ. Neq; Scotus, asserit contrariæ opinionis, eas admittit. Et si quis ita loqueretur, patientia philosophorum abuteretur. Neq; n. sensu formali vel identico id verum est. Re Ergo differunt essentia compositi & potentia compositi ad actum. Re inquam, id est *diversis essentis*, non re id est *subjecto*, sic n. re unum sunt. Vtrumq; enim est in composito ut *primario & totali subjecto*. Confer. Zabarell. de fac ani. cap. 2.

27. Obijci possit illud *Philosophi in 9. Et hic. cap. 4.* quod homo sit suus intellectus. Inde & sua potentia dici possit. At antecedens ibi non ait Philosophus, sed in moralib. ait, quemlibet id quod intelligat optimum esse, etiam maxime esse cupere. Veluti qui sanitatem maximum bonum esse intelligat, etiam maxime sanus esse concupiscat. Estq; adeo illius dicti sensus non formalis, neq; identicus, neq; ut alicubi *Thomas, virtualis*, qui impropriissimus est, sed ut Ego commodius interpretor, *moralis*. Moraliter quod quis optimum esse intelligit, etiam maxime esse cupit. Sic avarus summum bonum in divitijs esse opinatus, vel maxime dives esse desiderat.

28. Dico IV. *In substantia incompleta, qua est principium compositi, ut materia & forma, potentia recipiendi & informandi non differt realiter ab ipsa essentia.* Nam hæc principia prorsus sunt incompleta, ut distin-

ctio inter *essentiam* & *potentiam* non sit *necessaria*.
Et *receptio* in *materia* non est *peculiaris perfectio*, ut
potentia opus habeat, sed potius *imperfectio* quaedam,
defectum rei subinferens, ut bene *Ruvius. c. l. n. 14. de*
pot: Informatio in *forma* non est *strictè dicta operatio*,
quæ *potentiam* ad *operationem* prærequirat, sed *mo-*
odus quidam & *ipsa formæ causalitas*, quæ se unit *ma-*
teriæ. Ut bene *Scheibl. l. 1. Met. c. 22. n. 269. Conf. eun-*
dem l. 2. Met. c. 8. §. 184. Potius *preparatio* & *antecedens*
est ad futuram operationem, quam vera operatio. Vnde *si-*
militer *potentia distincta* hic opus non est. Et *alias*
causalitates à *suis causis* non differre *realiter*, alibi *di-*
sputatur. Zabarella quidem *l. 1. de fac. an. c. 5. & l. 1. de*
Mat. Pri. c. 9. reale & hic *discrimen* urget, Sed *citra ne-*
cessitatem. Aristoteles *potentiam completarum rerum*
categoriae Qualitatis asseruit, non *incompletarum*,
quales materia & forma. Confer pluribus Perer. l. 5.
de Phil. c. 21. 22.

29. Dico V. *In ente creato accidentali, quod prin-*
cipium actionis est, potentia agendi est ipsa rei essentia. *Ac-*
cidentia enim sunt *principia proxima, ut quibus, actio-*
num. Hoc clarum est *exemplis.* *Ignis calefacit per*
calorem, calor est ipsa calefaciendi potentia. *Aqua*
frigefacit per frigus, quod est ipsa infrigidandi poten-
tia. Nec *hujus potentie* quærenda est *alia potentia*
nisi infinitum procedas. *Deveniendum tandem ad a-*
liquod est, quod potentia & instrumentum agendi sit, non
aliam potentiam supra se habeat. Ita *Physici* *qualitates a-*
ctivas, ut calorem, frigus, potentias activas vocant,
Et *est categoria qualitatis Logica* idem notum est. *Zaba-*
rella c. 5. c. l. & hic *alias potentias consequentes illa acci-*
dentia ponit, Sed *præter necessitatem, Manatq; error*
ex alia

ex alia falsa hypothesi, quod potentias tantē per idoneitates definiat, non validas agendi virtutes vide 1h. 18.

30. Dico VI. *Potentia obiectiva & oboedientialis non differunt realiter à rebus, quibus insunt.* Potentia obiectiva dicitur, quia aliquid à naturali agente produci potest. Ut rosa à suo frutice. Vnde in hyeme in potentia obiectiva sui fruticis esse dicitur. Dicitur etiam *potentia Logica.* Potentia oboedientialis est, quia aliquid educi potest, à DEO aut artifice. Ita lapis in potentiâ ad filium esse dicitur, quia ex lapide filius educi potest à DEO. Mat. 3. V. 9. Ita asina Bileami in potentiâ ad loquendum fuisse dicitur, Respectu DEI. Num. 22. V. 28. Hæ potentix non differunt realiter à subiectis suis. Nam *objectiva potentiâ, quatenus talis, potius negationem dicit quam positionem entis, negat n. ens, esse in actu, ponitq; modum essendi potentialem tantum, qui quatenus talis, entis futuri demum, habitudinem dicit potius, quam præsentis existentiam.* Adeoq; *potentia obiectiva* modus quispiam rei est infirmissimò modo existentis, adeoq; à subiecto suo realiter differre invalida. *Oboedientialis* nudam in subiecto repugnantia negationem dicit, non realem entis attributionem. Sic asina in potentia oboedientiali ad loquendum dicitur, quia ei non repugnat, respectu DEI, loqui potuisse. Estq; adeò hæc potentia modus quidam se habendi ad artificem & superius agens non tam positivus, quam negativus: adeoq; hæc potentia similiter reale discrimen à subiecto, cui inest, non importat.

31. E Disputatis facilius erit venari definitionem potentia. Potentiam Interdum esse substantiam, interdum accidens dictum est. Relinquitur inde, veram potentix definitionem talem dari debere, quæ

utricq; respondeat. Variæ ejus descriptiones dantur. Scaligero potentia est apparatus ad actum. ex. 307. s. 19. & Biermanno dis. de pot. t. 131. sed vox apparatus valde impropria est, & in definitionibus Philosophorū insolita. Scaliger ad eum modum potentiam apparatus dicat, quo Logicam dixit supellectilem. ex. 1. s. 3. quam vocem nemo, opinor genus Logices assignaverit. Fonseca potentia principium agendi patiendive est ad 9. Meta. c. 2. Generaliter dici potest, quod sit vis & dispositio ad actum. Vbi notandum 1. Potentiam hic sumi ut & transcendens quid est, adeoq; rigidam definitionem respuere, contentam qualicunq; descriptione, pro naturā rerum non prædicamentalium. 2. Vocem vis sumendam non prædicamentaliter solum, sed & transcendentem, adeoq; indifferenter ad creata & increata. Vnde & DEO vis ad agendum competit.

32. 3. Dispositionem similiter indifferenter esse sumendam ad finita & infinita, qua tendentiā ad aliquod notat. 4. Actū intelligendū esse vel eliciendū, unde potentia activa oritur, vel recipiendū, unde passiva. Adeoq; vox actus indifferenter sumenda ad actum vel propriū vel alienū. 5. Generaliter & objectiva & obedientialis potentia dispositiones ad actū dici possunt, illa respectu naturalis agentis, à quo educi: hæc respectu artificialis & DEL, à quo produci potest. 6. Etsi qualitas quædam, tantum ad formalem perfectionem substantiæ ordinetur, ut disputat Suarez, d. 43. s. 3. n. 5. potentia tamen, de quâ disceptamus, ad operativam & activam perfectionē est ordinata, quæ interdum qualitas, interdum substantia est, ut explicatum est. Confer Scheibl. c. 8. introd. Log. n. 47.

33. Fuit definitiva. Consideratio potentia: sequeretur

quere
va co
defini
culiar
omnia


1.
differa
inter
ictan.
nus et
poten
4. q. 8
recte i
gat po
apud
anima
nem q
at, non
hoc an
mali, h
poris an
tia sen
speciei
cile fat
mas. I.
essentia
accident


queretur jam convenienti methodo *divisiva & affecti-
va* consideratio. Sed cum ultra sperata excreverit
definitionis discussio, hic sufflaminamus, & reliqua pe-
culiari disquisitioni reservamus. Interibi Enti in O-
mnia potenti laudes & grates dicimus.

Adjectanea.

1. *Potentia unius generis proximi, ut vocantur, an-
differant specie, e. g. potentia visiva leonis & hominis,
inter doctiores est controversum. Affirmant Ca-
rietan. Scaliger ex 346. Bellarm. l. 3. de. Eccl. c. 9. Jandu-
nus etiam pro albedine & nigredine diversas specie
potentias visivas introducit, apud Tolet. in 2. de an. c.
4. q. 8. sed temerariâ Entium multiplicatione. Eoq;
rectè id negatum à Thoma. p. 1. q. 79. a. 7. Scotus ne-
gat potentias illas differe specie in 1. sent. d. 2. q. 74
apud Scalig. c. l. Rectius. Potentia visiva sequitur
animal quâ animal, non hominem, quâ homo, non leo-
nem quâ leo. Hoc est, Ratio proxima cur homo senti-
at, non est, quod homo sit, sed quod animal sit. Et
hoc animal, quâ animal, unius speciei est in omni ani-
mali, homine, leone, asino. Est enim una species cor-
poris animati, sentiens nimirum. Et consequenter potē-
tia sentiendi quæ animali ut animal est, inest, unius
speciei est in omni animali: Rationibus Scaligeri fa-
cile satis facias, si distinguas inter sequi diversas for-
mas. 1. materialiter & formaliter sumptum. 2. subjective &
essentialiter. 3. secundum rem & rationem. 4. speciem
accidentalem & essentialem segreges.*

1. Omnium hominum maxime longæ-
vus fuit *Adamus*, ne ipso *Matusala-
ba* quidem excepto.
2. Columba ab accipitre celerrime a-
gitata est *immobilis*.
3. Colores actu de nocte melius vide-
re nos posse, quam de die, non ve-
risimile solum, sed necessarium est.
4. Substantia & est substantia & acci-
dens, & accidens est & substantia
& accidens: Iterum substantia ne-
que est substantia neq; accidens.
& accidens neq; est accidens neq;
substantia: Rursum utrumq; est
utrumq;.
5. Sapiens nunquam mentiri valet, nū-
quam inebriatur, nunquam civita-
te pelli potest, omnia ipsi fluunt
ex voluntate.
6. Etiam pessimus homo est optimus
homo.





Biblioteka Jagiellońska



stdr0019288

